

Testimonium Ordinis Teuthonicorum
Premislaus Duci Cujavia Datum, super
necessitate venditionis bonorum in Pomerania.

35

Universis Christi fidelibus, quos presentem
paginam legere contigerit, vel audire, Frater
Henricus de Plotzko magister terre Prusie
una cum ceteris fratribus ordinis sancte
Marie de Domo Theutonicorum salutem
in Domino sempiternam. Accedens ad no-
stram presentiam illustris Princeps Pre-
mislaus Dei gratia Dux Cujavia, et Domi-
nus Vladislavia rite, ac rationabiliter o-
stendit in servitio patris sui, inclyti prin-
cipis Vladislai, principis Cracovie quatuor
millia marcarum argenti Damni se acce-
pisse in terra Pomerania, quam sibi in-
clytus princeps Vladislaus commiserat
gubernandam, preter id, quod ratione de-
bitorum, que in dicti patris sui servitio
existens contradereat, piscarium, et bona, sci-
licet villas inter Rogatun, et recens ma-
re sitas, que ad ingenuam dominam Sar-
lome Ducissam Cujavia prefata matrem
ipsius ex paterna successione pertinebat,
nobis et ordini jam vendere oporteat. Cum
igitur specialiter amore justitie testimo-
nium veritati reddere debeamus, id quod
princeps supra dictus Premislaus osten-
dit coram nobis tenore presentium du-
ximus confirmandum. In cujus rei te-
stimonium sigillum nostrum, ac confratrum

trum nostrorum sigilla, videlicet Günthe-
ri Dicti De Schwartzburg provincialis ter-
rae Culmensis, et Eberhardi Werenburg, præ-
sentibus sunt appensa. Datum in Thorun
in Die Apostolorum Philippi, et Jacobi,
anno Domini millesimo trecentesimo nono.